37.

Mi dilectissime gener.

Imprimis oramus Deum, ut non tantum vos et nos et totam
Rempublicam conservet, atque benedicat, sed etiam vobis pro more
det laetitiam et gratiam addere. Bonum tamen puto, in tali
causa metuere. Nunquam profuit, hostem contemnere et se-
curum agere. Ego non possum non metuere et exspectare magnas
angustias: tamen de exitu bene cum Deo spero. Ceterum
Canticum meum feliciter procedit. Versamur in capite V.
Apocalypsis non segnius. Versamur in capite item V.
Maximam partem Cantici jam relegi: sed in relegenda A-
pocalypsi amplius sudo. Ita laboro, ut nullum momentum
mihi sit vacuum. Juvat D. vander Hagen suggerens consi-
derationes. Quid tu faceres, si adesses. Lexicon meum
interea jacet. Et per singulas vices potui libros tractare. Et
nescio quomodo varietas delectat. Spero me recentem ad
id rediturum. Hodie invitati sumus ad nuptias D. Bahr-
manni et Mariae Cruniae. Sponsus me sibi oravit pa-
ranymphum. De vestris nuptiis, quum diem constitueritis,
facietis nos in tempore certiores. Pronus vellet suae sorori
et ejus marito adesse, qui minister est Comitis Oldenbur-
gici: de quo quid sperare debeamus, nondum certi sumus.
Volo etiam vos scire, Psalterii et Summae exemplaria
vendita esse. Summae superfuerunt exemplaria 903. Vendita
sunt 10. pro 25 f. caetera exemplaria 2 f. et 2 ß. Psalte-
rii 242. florenis tribus: caetera minimum 2 f. 10 ß.
Emtor est Joh. Ravesteyn Amsterodamensis vir lo-
cuples. Contractus est dies satis longus. Redibunt nobis
~~[illegible]~~ adhuc 3000 f. et aliquid amplius. Speramus, eam
negociationem absque damno fore. Valere vos et in
Domino gaudere cupio. Lugd. a. d. 12. Martii
1665.

V. amantissimus

Joh. Cocc.

Indicem in Canticum et Apocal. curat Editor
faciendum per studiosum. Ei non possum eripere
ex manibus opus, in quo versatur.

Accepi chartas
de Cartesio: sed
nescio, quae adhuc
apud te sint.

Reverendo et doctissi-
mo Viro D. Gulielmo
Anslario V.D.M.

Biefelinger.

Middelburgh ten
huyse van Myn Heer
Jacobus Anslaar
bedienaer des
Evangeliums.

Met een
packjen.

1140